



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt LIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

THEOLOGIA

loquendo, tacendo, vigilando, dormiendo: denique in omnibus ritibus & moribus, quibus homo vel secum aut cum alijs, vel erga seipsum, aut erga alios fungitur. In his omnibus caueatur, ne quid aliud eueniat, neu se homo ad aliquid aliud conuertat, aut aliquid aliud in eo existere aut manere, vel intus vel extra audeat, neu quid aliud ab eo fiat, quã quòd Deo dignum sit, fieriq; ritè possit & liceat: perinde ac si Deus ipse, esset ipse homo. In huiusmodi homine quicquid est, aut esset, quicquid esset aut est intus, aut fieret extra, id est aut esset Dei, & homo est aut esset imitator vitæ Christi, quam nos vitam intelligere & eloqui possumus.

CAPVT LIII.

*Christi imitatio* **S**I quis igitur hanc vitã haberet, is iret & veniret per Christum ad patrem: esset enim imitator Christi: ideoq; cum Christo veniret ad patrem, & per Christum: essetq; verus seruus Christi. Nam qui eum sequitur (quemadmodum ipsemet dicit: *1oã. 12 d* Qui mihi seruire vult, me sequatur. quasi

quasi dicat: Qui me nō sequitur, mihi non seruit) qui, inquam, sic Christum sequitur, eiq; seruit, is eōdem intrat, vbi Christus est, videlicet ad patrē. Sic dicit ipse Dominus Christus, dum ait. Pater, volo, vt ibi ego sum, ibidem sit etiam seruus meus. *Ioā. 17 d*  
*Ioā. 10 a*  
 Hac via qui incedit, is per ianuā intrat in ouile, hoc est, in vitam æternam, eiq; ianitor aperit. Qui verò alia via incedit, conaturq; aut se posse arbitratur ad patrem aut ad æternam foelicitatem venire, aliter quàm sic per Christum, is errat: non enim recta via incedit, neq; per rectā portam intrat. itaq; ei nō aperitur: quoniam fur est, & latro, quemadmodum dicit Christus.

Perpende igitur vtrūm per inordinatam libertatem, immunitatem, negligentiam, virtutem aut vitium, ordinem aut cofusionem, & cætera, quemadmodū vos facile percipitis: vtrūm, inquam, sic recta via, aut ad rectam portā intretur, an secus. Hæc negligentia neq; in Christo fuit neq; in vllō verorū eius imitatorum est. *Ioā. 6. e*

Dicit item Christus: Nemo venit ad me, nisi trahente patre meo. iam hoc

T H E O L O G I A

hoc sic accipe: Patrem ego intelligo perfectum simplexq; bonum, quod omnia, & supra omnia est, et sine quo nullum verè bonum opus vnquam vel factum est, vel fiet. Et quia omnia est, necesse est, vt etiam & solum sit, et supra omnia. Nihil etiam eorum esse potest, quæ creatura, vt creatura, comprehendere aut intelligere valeat. Quicquid enim creatura, vt creatura, hoc est secundum suæ creationis conditionem, comprehendere aut intelligere potest, id aliquid est, hoc aut illud, & porro creatura est. Quòd si esset simplex perfectumq; bonum, aliquid, hoc aut illud, quod creatura intelligeret, non esset id omnia, neq; solum, nec item perfectum, ideoq; ne nominatur quidē. Putatur eorum nihil esse, quæ creatura suapte natura cōprehēdere, intelligere, cogitare aut nominare potest.

Cum hoc perfectum & innominatum in gignentem personam influit, in qua suum vnigenam filium, & seipsum gignat nominatur pater.

C A P V T L I I I I .

Con<sup>a</sup>